



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 2. Pœnas Deus prænuntiat, ut vitemus, &c. Figuræ, Symbola.  
Testimonia ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & Aliis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS XXII. POENÆ DIVINÆ.

§. I.

### Symbola.

**M**anus Domini frequenter sumitur in Scriptura pro potentia divina ad puniendum. Exod. 7. 4. *imittam manum meam super Ægyptium.* Job. 13. 21. *manum tuam longè fac à me.* Pl. 31. 4. *gravata est super me manus tua.* Ezech. 6. 14. *extendam manum meam super vos.* Hebr. 10. 31. *horrendum est incidere in manus Dei viventis.* S. Ambros. in Pl. 37. manum Dei virtutem intelligimus puniendi.

*Pœne militant in me.* Job. 10. 17. Militantes dicuntur: quia per quendam malorum ordinem succedentes, officium sibi commissæ crudelitatis exercent. V. Beda hic.

*Virgam vigilantem ego video.* Jer. 1. 11. Id est, minantem, & agentem se, ac paratam percutere, ait Rupertus. Sept. vertunt: *ego video baculum nucum.* Theodot. *ego video virgam amygdalinam,* quæ prima inter arbores evigilat, id est, sollicita est, ut suos flores emittat. Advertit Theodoretus; sicut nux, vel amygdalum, amarum habet corticem, sed nucleum suavem; ita castigatio primo molesta est, sed deinde fructum dat, suavitatem morum. Viegas in Apoc. c. 15. Comment. 1. Sect. 1.

*Vigilantem* exponit *oculata*; vel oculos apertos, & vigilans, habentem. Significat enim Dei Providentiam, & iustitiam; quæ tota oculata est, nec per errorem supplicium inferi; sed maximo iudicio, & examine, verberat. Hæc virga vigilans peccatores terrendo excitat, & à somno peccatorum evigilare facit. Unde aliqui, pro *virgam vigilantem*, vertunt: *virgam vigilare facientem.* Cornelius hic.

*Ollam succensam.* Jer. 1. 13. Orig. Rupert. & Ambros. in Pl. 38. prius Deus hic poenitentibus exhibet virgam correctionis; quam si nolent, impoenitentibus reservat ollam gehennæ.

*Omnis laguncula implebitur vino.* Jer. 13. 12. Symmachus, *crater.* Theodot. *vas.* q. d. sicut laguncula impletur vino; ita ego implebo vos ebrietate; non bonorum, & voluptatum; sed malorum, & dolorum. 2. laguncula vini, est mensura furoris, & vindictæ; quam propinabit, & quæ inebriabit vos Deus. Laguncula sunt ipsi Judæi, qui excipiunt vinum furoris Dei. Cornelius hic.

*Transit super pulchritudinem colli ejus.* Osee 10. 11. Transit Deus, cum plagas infligit. Hinc transit in Scriptura, significat punire. Ità transit per domos Ægyptiorum occidens primogenita eorum; indeque nuncupatur.

*Polyanth. Sacr. Tom. II.*

tum Pascha Ex. 12. 12. Ità Hieron. Cornelius hic.

§. II.

*Pœnas Deus prænuntiat, ut vitemus &c.*

### Figure. Symbola.

**A**rcum meum ponam in nubibus. Gen. 9. 13. Arcus in nubibus est signum duorum: scilicet iudicii præteriti per aquam, nè timeatur; & futuri per ignem, ut timeatur. Inde est, quod habeat duos colores: cæruleum, qui æquosus est, & exterior; quia diluvium jam præterit; & rubeum, qui est igneus, & exterior; quia iudicium ignis venturum est. Hugo Card. hic. Quarit Alcuinus: cur illud, signum diversi coloris datur hominibus? & respondet: in arcu idem color aquæ, & ignis, ostenditur; ex parte cæruleus, ex parte rubicundus. Est utriusque testis iudicii; unius facti, & alterius faciendi, propter timorem. Si non terret diluvium, terreat æterna gehenna, nè pecces. Escobar, t. 1. mir. Chr. 1. 5. Sect. 2. Obs. 9. Addo, in medio viridem cerei, quò, intermedio temporis, misericordia designatur. Quin & ipsa cælestis arcus figura nobis simul Dei clementiam, & severitatem, ante oculos ponit: severitatem, quia arcus instrumentum est ad feriendum; clementiam, quia caret sagittis, quibus impetat. Et inversus est: nec chordam ad terram, sed ad cælum, directam habet. Dolutreman de amore l. 1. c. 1. Sect. 6. S. Ambr. l. de arca, & Noe. c. 27. iris est clementia Dei, quæ quasi arcus contentus; sed carens sagittâ; per adversa, quæ immittit, magis terrere nos vult, quam ferire; ut vitia corrigamus. Unde S. Joan. Apoc. 4. 3. vidit thronum Dei circumdatum iride, id est, misericordiâ.

Ægyptii per omnes ferè creaturas puniti sunt: scilicet per terram, aquam, aerem, ignem; per mixta, grandinem, & sanguinem; per animalia, ranas, muscas, sciniphes, locustas; per solem, & astra, cum se subducendo tenebras induxerunt; per homines, Moysen, & Aaron; per Angelos, & Deum. 2. in omnibus pene bonis puniti sunt: scilicet in fructibus agri, in animalibus, id est, primogenitis; in auro, & argento, in corporibus per ulcera. 3. in omnibus sensibus puniti sunt: in visu, per tenebras, & spectra; in auditu per tonitrua; in gustu, per sitim, & potum sanguinis; in odoratu, per foetorem ranarum; in tactu, per dolorem ulcerum, & morsum sciniphum; denique in phantasia, & mente, per continuum mœrorem, ac multiplices terrores. Hæ plagæ fuerunt typus, & prælium pœnarum gehennæ. Cornelius in Ex. c. 7.

kkk 2

Semper

*Semper, quasi timentes super mesuētus, timui Deum.* Job. 31. 23. Cur timorem, ex divina iustitia ortum, cum timore, ortū ex procella, comparavit? Credo duplicem ob causam: unam tradit. S. Gregor. mor. l. 21. c. 17. quia, sicut tempestas cogit ad merces in mare proiciendas, ut vita seruetur; ita divinus timor impellit ad bona temporalia abicienda, ne spiritualia amittantur. Secunda causa: quia sicut coortā tempestate omnes in preces, & vota, ac lacrymas, solvuntur; omnes præterita crimina abjurant, nova vivendi exordia promittunt, divinam gratiam humiles precantur; ita timore divinō perculli, etiam sancti viri, hæc omnia exequuntur. Medoza in 1. Reg. 12. Annot. 12. Sect. 1.

*Gladium suum vibravit, arcum suum retendit.* Eccl. Pl. 7. 13. Propterea intendit, propterea paravit, propterea sagittas imposuit, propterea se parat ad supplicium; ne veniat ad supplicium. - Ne ergo conturbemur: est enim terror verborum maximæ clementiæ: & quò dicit intolerabiliora, eò illa ex majori dicit mansuetudine, S. Chrylost. hic.

*Arcum suum retendit.* ib. Pl. 10. 3. de homine: ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra; ut sagittent in obscuro rectos corde. Titelmannus hic: cum Deus arcum tenens describitur, sagittæ minimè occultantur, ob hoc arcum suum quasi in propatulo gerit, sagittas ostentat, earumque terrorem denuntiat peccatoribus ad cautelam. Impii, cum arcum tenent gestant; tamen sagittas in pharetra absconditas habent, cupiditate nocendi. Did. Niff. fer. 2. D. 1. Quadr. §. 1.

*Tendit arcum suum.* Thr. 3. 12. Per arcum extensum jus divini Judicii exprimitur: quod diu venire differtur: quia mavult Christus invenire, quos remuneret; quam quos feriat. Hinc David ait: *dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.* Pl. 59. 6. S. Paschasius hic. Dei supplicia vocat arcum: quia sicut sagittarius, priusquam emitat sagittam, prius sibi pectus ferit: sic DEUS, antequam puniat. Genes. 6. 7. *tactus dolore cordis, delebo, inquit, hominem.* q. d. opus hoc, quod præcipuā ratione meum est, quod tantoperè amo, ejus peccatis cogor, ut destruum. Diez. conc. 4. Dom. 2. Adv.

*Fulgura in pluviam fecit.* Pl. 134. 7. S. August. hic. minas ad misericordiam flexit: quando tibi minatur Deus per Prophetam, & per Apostolum, & times; nonne coruscatio terruit te? sed cum poenitendo corrigeris, & agnoscis, hoc misericordiā fieri; in pluviam vertitur fulguris terror. Pinna Ethol. 57.

*Fac tibi vincula.* Jer. 27. 2. Jussit Deus Jeremiam gestare vincula, ut iis adivum representaret vincula, & captivitatem, Judæorum; sicut Isaias c. 20. 2. jussus est ambulare nudus; ut representaret eorum expilationem. Gestavit hæc vincula, vel continuo vel per

intervalla, per annos quindecim. Cornelius hic.

*Dominus de Sion rugiet.* Amos 1. 2. Leonis natura est, quamdiu prædam non invenit, silere; inventā autem prædā rugire: ut, quodcumque illud sit animal, rugitu tremefactum, & attonitum, concidat; & in prædam fortiori, non tam patienter, quam impatienter cedat. Porro leo, per similitudinem, Deus fortissimus est; cujus iræ resistere nemo potest: præda verò ejus est omnis electus; qui, ubicunque sit, ab ipso Deo requiritur; ut ad vocem ejus, sive per Angelum, sive per Prophetam, sive per scripturas, auditam, ille contremiscat; diēque Judicii, vel poenam gehennalem, pavescens totus humiliter succumbat, poenitentiam apprehendat; sicque in partem ejus cedat. S. Rupertus l. 2. hic.

*Succide illam: ut quid etiam terram occupat?* Luc. 13. 7. Vineæ cultor rogat: *Domine, dimitte illam etiam & hoc anno &c.* S. Augustinus l. 31. de Verb. D. in futurum *succides eam,* quando? scilicet eum in Judicio venies judicare vivos, & mortuos: interim modò paritur. Verum unde Augustinus colligit mislum in sequentem annum excidium, usque ad extremi Judicii spatia prorogandum? quia, quod statim fieri opportuē poterat, in ulterius tempus reservatur. Naxera in Jos. 7. §. 30.

*De ore ejus gladius exibat.* Apoc. 1. 16. quia sententia finalis ab ore: *ite maledicti.* Nota cum Viega, Christum triplici modò gestare gladium. 1. accinctum. Pl. 44. 4. *accingere gladiō tuō.* 2. in ore, ut hic: *& de ore ejus gladius.* 3. in manu. Pl. 7. 13. *nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit.* Hic est in puniendo DEI progressus: Accinctus ostendit potentiam, ut terreat: in ore, ut detereat: in manu, ut percutiat. Ex. 15. 9. *evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Sylveira hic.

*Habebat in dextera sua stellas septem.* Apoc. 1. 16. In manu potius gladius, quam stellæ esse deberent. Stellæ beneficia; quia ea actu dat: in ore gladius, quia poenas minatur. Sylveira hic.

### Testimonia

#### Ex Veteri, & Novo.

*Omnis pulvis terre versus est in scinthes.* Ex. 8. 17. Philo Jud. l. 1. de vita Moyf. cur Deus Aegyptios per scinthes potius, quam per urfos, pardos, leones, coercuerit? ait: disce, Deum voluisse Aegyptios castigare; non è medio tollere. Sic Azotii r. Reg. 5. 6. per mures potius à Deo puniuntur, quam per leones; quia hi mox lacerant; illi violentius torquent: & ideo per mures datur locus poenitentiae; per leones tolleretur. Mendoza in 1. Reg. 5. 6.

Sagitta

*Sagitta Domini in me sunt; quarum indignatio ebibit spiritum meum; & terrores Domini militant contra me.* Job. 6. 4. Duplicium malorum meminit, 1. quæ jam patiebatur; quoniam *Sagitta*, q. d. multis malis impetivit me Dominus, & velut sagittis me vulneravit; scilicet amissione bonorum omnium, orbitate filiorum, morbis corporis. Aliorum verò malorum: & *terrores Domini* &c. id est, alia mala sunt, quæ nondum expertus sum: illa timeo, quæ multò his graviora sunt. Pinna Eth. 187.

*Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Jon. 3. 4. Propheta, irritas Dei minas præsentans, fugam arripit; nè vates mendax inveniatur. Theodoretus: prædictionem ejus falsam videri, turpe sibi existimavit; seque Prophetam vocari mendacem. Unde Jonas conijcit eludenda supplicia? Theodoretus: in hanc opinionem cum impulit ipsa ruinarum ultionis poenæ declaratio: Consideravit enim, non Deum præsignificare, si punire vellet. Naxera in Jos. 7. §. 30.

*Et debitum dimisit ei.* Matth. 18. 27. Quam facilis debitum remittit, qui tam iratus iussit venundari peccatorem! Iussit venundari; ut peteret veniam; Vexamur à Domino; ut ad penitudinē alliciamur. S. Chrysost. Rex coelestis non ex crudelitate iussit servum venundari, uxorem, & filios; sed quia incredibili curā illius devictus, hac comminatione ad supplicandum nè venderetur, deducebatur. Theodoretus in Jon. c. 3. quoniam conservare Deus gaudet, minatur tristitia; nè tristitia in nos invehat. Escobar t. 6. Par. Chr. 1. 2. Sect. 1. §. 3.

*Cum venerit Filius hominis.* Matth. 25. 31. Propterea se Judicem venturum minatur, ut non inveniatur, quos puniat, cum venerit. Si damnare vellet, taceret. Nemo volens ferire, dicit, observa. Totum, fratres, quod a divinis per Scripturas, vox est dicentis DEI: observa S. Augult. f. 109. de temp. Et ferm. 38. de Sanctis: Si nos Deus noster punire vellet; non nos tot ante sæcula commoveret. Invidius quodammodo vindicat: qui, quomodo evadere possimus, multò antè demonstrat. Non enim te vult ferire, qui tibi clamat: observa.

#### Ex Patribus, & aliis.

Propterea Deus gehennam minatus est; non ut eam infligeret, sed nè infligeret. Et illam quidem paravit diabolo. *Ite, enim inquit, in ignem æternum, qui paratus est diabolo.* Matth. 25. 41. Regnum autem hominibus: ostendens; se nolle hominem trudere in gehennam. S. Chrysost. in Pf. 144.

Ipsam etiam gehennam propterea condidit; ut metus poenæ, intolerabilisque cruciatus, ad regnum nos cogat. S. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus. Cassiodorus 4. variar. 29.

Ante Jerosolyma excidium supra urbem astrum stetit gladio simile; cometa per annum apparuit. Zonaras tom. 1.

In regno Hispaniæ, in oppido Villila nun-

cupato, campana quadam per aliquot menses, antequam aliquid adversi in Christiana Republica contingat, ex seipsa pulsatur. Nie-remb. l. 1. de mirac. nat. in Europa, c. 8.

#### §. III.

### Pœna sunt beneficia Dei amanti.

#### Symbola.

*Grando, & ignis, mista pariter ferebantur.* Ex. 9. 24. Mirabile! grandinem simul cum igne descendisse. Unde tam pacificum consortium inter calida, & frigida; humentia & sicca? Stephanus Cantuar. *Ignis, & grando, mista pariter sunt:* quia, dum Deus hominem punit; etiam signum sui amoris impendit: in igne enim fervor divini amoris exprimitur. Castillo Illat. 96.

*Manus Domini tetigit me.* Job. 19. 21. Hæc manus habet quinque digitos: pollex potentia divina: Index, discretio Dei in puniendo; quia nunquam punit ultra condignum: Medius benignitas divina: Medicus; quia adversitas medicina: auricularis, exauditio orationum. S. Vinc. Ferrer. l. 8. D. 16. post Trinit.

*Poenam eam desertam: non putabitur, & non fodietur; & ascendant vepres, & spinæ.* Isa. 5. 6. S. Basilus M. quemadmodum qui vineam putant, altringunt ejus vites, & externè continent; ut majori cum temperamento procedat ad perferendos utiles fructus: ad eundem modum contingit animæ, assiduitate tribulationum incurvatæ; quodammodo in se contrahitur, seque humiliter demittit, atque ad sui diligentem custodiam retrahitur. E contrario anima, quæ indulgenter, & remissè vivere finitur; perinde atque vinea quadam neglecta, luxuriat, & sylvescit. Apud Ramirez. ep. 3. Apoc. 2. v. 16.

*Consolamini populus meus suscepit de manu duplicia Domini.* Il. 40. 1. 2. Consolamur interdum multis modis: consolamur & ex Dei misericordia; & aliò consolationis genere; quando delictorum graves persolvimus poenas; ut habes in Isaia: *Consolamini* &c. Consolamur quàm sæpe flagellis: quia non obliviscitur Deus misereri. Unde, decurris supplicii, quæ propter peccata tulimus, frequenter, certi sumus in ipse; quòd ad veniam pertingamus. Nunquam flagellis, ac tentationibus, abest consolatio Spiritus S. si non impediatur duritia, & impenitentia cordis. S. Paschal. in Thr. 3.

*Sume calicem vini furoris hujus de manu mea.* Jer. 25. 15. En potio amara contra malos humores. Velloso in Judith. 6. 23. Paræn. 45.

*Super eum visitabo.* Amos. 3. 14. Hier. hic: pulchrè dicit, *visitabo*, & non, *percutiam*: quia Dei plaga visitatio est, & curatio.

*Non parces oculus meus, & non miserebor.* Ezech. 5. 11. Non parcat, ut parcat: non misereatur; ut magis misereatur. S. Hieron. hic.

*Septem phialas aureas.* Apoc. 15. 7. Ira Dei, & ultio, est res pretiosa: hinc servatur in phialis aureis. Phialæ sunt aureæ: quia ultio